

» tem doce me , » nisi ut ei gratia Dei magis magisque innotescat dulcedine bonitatis? Habebant enim fidem qui dixerunt: « Domine, auge nobis fidem ¹. » Et quoad vivitur in hoc mundo, proficientium est ista cantatio. Addidit autem, « Et eruditionem: » vel, sicut plures codices habent, « Disciplinam. » Sed « Disciplinam, » quam Græci appellant παιδείαν, ibi Scripturæ nostræ ponere consueverunt, ubi intelligenda est per molestias eruditio: secundum illud, « Quem enim diligit Dominus, corripit; flagellat autem omnem filium, quem recipit ². » Hæc apud Ecclesiasticas litteras dici assolet disciplina interpretata de græco, ubi legitur παιδεία. Hoc enim verbum in græco positum est in Epistola ad Hebræos, ubi latinus interpret ait: « Omnis disciplina ad præsens non gaudii videtur esse, sed tristitiæ, postea autem fructum pacificum, » his qui per eam certarunt, reddit justitiæ ³. » Cum quo ergo facit Deus suavitatem, id est, cui propitius inspirat boni delectationem; atque ut apertius id explicem, cui donatur a Deo charitas Dei, et propter Deum charitas proximi; profecto instanter orare debet, quo tantum sibi augeatur hoc donum, ut non solum pro illo contemnat delectationes cæteras, sed etiam pro illo quaslibet perferrat passiones. Ita suavitati salubriter additur disciplina. Non enim quantulæcumque suavitati vel bonitati, hoc est, charitati sanctæ poscenda et optanda est; sed tam magnæ, ut sub ejus pressura non possit extinguere, sed sicut ingens flamma sub impetu venti, quanto magis reprimatur, tanto ardentius excitari. Ideo parum fuit dicere: « Suavitatem fecisti cum servo tuo: » nisi rursus peteret ut eum doceat suavitatem, tantam utique, ut disciplinam possit patientissime sustinere. Tertia ponitur scientia: quoniam si magnitudine sua præcedit scientia magnitudinem

¹ Luc. xvii, 5. — ² Prov. iii, 12, et Hebr. xii, 6. — ³ Hebr. xii, 11.

charitatis, non ædificat, sed inflat ¹. Cum ergo tanta fuerit charitas in bonitate suavi, ut tribulationibus non possit extinguere, quas adhibet disciplina; tunc utilis erit scientia, qua innotescit etiam sibi homo quid ipse meruerit, et quæ a Deo donata sint ei, per quæ posse se sciat quæ se posse nesciebat, et per se ipsum omnino non poterat.

III. Quod autem non ait: Da mihi; sed, « Doce me: » quomodo suavis docetur, si non detur? Quando quidem multi quod eos non delectat sciunt, et quarum rerum habent cognitionem, non habent suavitatem. Suavis enim disci non potest, nisi delectet. Item disciplina, quæ significat emendatoriam tribulationem, accipiendo discitur: id est, non audiendo, vel legendo, vel cogitando, sed experiendo. At vero scientia, quam tertiam posuit in his quæ ait: « Doce me, » docendo datur. Nam quid est aliud docere, quam scientiam dare? Et hæc duo ita sibi connexa sunt, ut alterum sine altero esse non possit. Nemo enim docetur nisi discat, et nemo discit nisi doceatur. Et ideo si discipulus capax non sit eorum quæ a doctore dicuntur, non potest doctor dicere: Ego eum docui, sed ipse non didicit: dicere autem potest: Ego ei dixi quod dicendum fuit, sed ille non didicit; quia non percepit, non comprehendit, non intellexit. Nam profecto et ille didicisset, si iste docuisset. Et ideo Deus quando vult docere, prius dat intellectum, sine quo ea quæ ad divinam doctrinam pertinent, homo non potest discere: unde et iste paulo post dicit: « Da mihi intellectum ut discam » mandata tua ². » Potest itaque homo, cum docere aliquem cupit, dicere illa quæ dixit Dominus Discipulis suis, postquam resurrexit a mortuis: sed facere quod ille fecit, non potest. Ait enim Evangelium: « Tunc aperuit eis sen-

¹ I Cor. viii, 1. — ² Psal. cxviii, 73.

» sum, ut intelligerent Scripturas, et dixit illis¹. » Quid autem illis dixerit, ibi legitur: sed ideo ceperunt quod dixit, quia unde caperetur aperuit. Docet ergo Deus suavitatem inspirando delectationem, docet disciplinam temperando tribulationem, docet scientiam insinuando cognitionem. Cum itaque alia sint quæ ideo discimus, ut tantummodo sciamus, alia vero ut etiam faciamus; quando Deus ea docet, sic docet ut scienda sciamus aperiendo veritatem, sic docet ut facienda faciamus inspirando suavitatem. Neque enim frustra ei dicitur: « Doce me, ut » faciam voluntatem tuam². » Sic, inquit, « Doce ut faciam, » non tantummodo ut sciam. Ipsa quippe recte facta, fructus est noster, quem reddimus agricolæ nostro: sed Scriptura dicit: « Dominus dabit suavitatem, et terra » nostra dabit fructum suum³. » Quæ autem ista terra est, nisi de qua dicitur eidem ipsi qui dat suavitatem, « Anima mea velut terra sine aqua tibi⁴? »

IV. quod vero cum dixisset, « Suavitatem et disciplinam et scientiam doce me; » adjunxit atque ait, « Quoniam mandatis tuis credidi: » non immerito quæri potest cur non dixerit, obedivi: sed, « Credidi. » Alia sunt enim mandata, alia promissa. Mandata facienda suscipimus, ut accipere promissa mereamur. Promissis ergo credimus, mandatis obtemperamus. Quid est ergo, « Mandatis tuis credidi, » nisi, credidi quod tu illa mandaveris, non aliquis homo, quamvis per homines hominibus ministrata sint? Quia itaque credidi tua esse mandata, ipsa fides mea qua id credidi, impetret abs te gratiam, qua faciam quod mandasti. Si enim homo mihi hæc juberet forinsecus, numquid ut etiam facerem quod jubebat adjuvaret intrinsecus? Doce ergo me suavitatem inspirando

¹ Luc. xxiv, 45, 46. — ² Psal. cxlii, 10. — ³ Id. lxxxiv, 13. — ⁴ Id. cxlii, 6.

charitatem, doce me disciplinam donando patientiam, doce me scientiam illuminando intelligentiam. « Quoniam » mandatis tuis credidi. » Te illa credidi mandasse qui Deus es, et homini donas unde facias eum facere quod mandas.

V. « Prius quam humiliarer, inquit, ego deliqui; propterea » terea verbum tuum¹, » vel sicut alii expressius habent, « Propterea eloquium tuum custodivi: » utique ne rursum humiliarer. Quod ad illam humiliationem melius refertur, quæ facta est in Adam, in quo omnis creatura humana tanquam in radice vitiata, quoniam veritati subjecta esse non voluit, subjecta est vanitati². Quod vasis misericordiæ profuit experiri, ut dejecta superbia diligatur obedientia, et pereat non reditura miseria.

VI. « Suavis es, Domine: » vel, sicut plures habent, « Suavis es tu, Domine³. » Aliqui etiam, « Suavis es tu, » vel, « Bonus es tu: » sicut de hoc verbo superius tractavimus. « Et in tua suavitate doce me justificationes tuas. » Vere vult facere justificationes Dei, quando eas in ejus suavitate vult discere ab ipso, cui dixit: « Suavis es tu, » Domine.

VII. Denique sequitur: « Multiplicata est super me » iniquitas superborum⁴: » eorum scilicet quibus non profuit, quod posteaquam deliquit, humiliata est humana natura. « Ego autem in toto corde meo scrutabor mandata » tua. » Quantalibet, inquit, abundet iniquitas, non in me refrigescet charitas⁵. Tanquam ille hoc dicit, qui in ejus suavitate justificationes Dei discit. Quanto magis enim suavia sunt quæ jubet qui juvat, tanto magis ea scrutatur amans, ut cognita faciat et faciendo cognoscat; quia perfectius cognoscuntur cum fiunt.

¹ Psal. cxviii, 67. — ² Rom. viii, 20. — ³ Psal. cxviii, 68. — ⁴ Ibid. 69. — ⁵ Matth. xxiv, 12.

VIII. « Coagulatum est ut lac cor eorum¹. » Quorum nisi superborum, quorum super se multiplicatam dixit iniquitatem? Obduruisse autem cor eorum vult intelligi hoc verbo et hoc loco. Nam dicitur et in bono; sicut in Psalmo sexagesimo-septimo dicitur, « Mons in- » caseatus, mons uber²: » et intelligitur gratia plenus. Nam et illud quidam, coagulatus, interpretati sunt. Sed vide quid a se opponat duritiæ cordis illorum. « Ego vero, » inquit, legem tuam meditatus sum. » Quam legem? Utique justissimam et misericordissimam: unde illi dicitur, « Et lege tua miserere mei. » Superbis resistit, ut obdurentur: humilibus autem dat gratiam, ut diligant obedientiam, et recipiant excellentiam³. Meditatione quippe legis hujus, voluntaria servatur humilitas, ut pœnalis humilitas evadatur, de qua mox dicit.

IX. Bonum mihi, quoniam humiliasti me, ut discam » justificationes tuas⁴. » Vicinum aliquid et superius jam dixerat, « Prius quam humiliarer ego deliqui; propterea eloquium tuum custodivi. » Ipso quippe fructu ostendit quod bonum illi fuerit humiliari: sed illic dixit et causam, quod humilitatem pœnalem delinquendo præcesserit. Quod vero ibi ait, « Propterea eloquium tuum custodivi; » hic autem, « Ut discam justificationes tuas: » satis significasse mihi videtur hoc esse ista nosse quod custodire, hoc custodire quod nosse. Neque enim Christus non noverat quod arguebat; et tamen arguebat peccatum, cum dictum de illo sit, quod non noverat peccatum⁵. Noverat ergo quadam notitia, et rursus quadam ignorantia non noverat. Sic et justificationes Dei multi discunt, et non discunt. Noverunt enim eas quadam notitia et rursus quadam ignorantia, quoniam non faciunt, non noverunt. Eo modo hic

¹ Psal. cxviii, 70. — ² Id. lxvii, 16. — ³ Jacob. iv, 6, et i Petr. v, 5. — ⁴ Psal. cxviii, 71. — ⁵ 2 Cor. v, 21.

ergo intelligendus est dixisse, « Ut discam justificationes » tuas, » ea notitia qua fiunt.

X. Hoc autem quia non fit nisi per dilectionem, ubi qui facit habet delectationem, propter quod dictum est, « In tua suavitate doce me justificationes tuas: » sequens versus ostendit, ubi ait, « Bona mihi lex oris tui, super » millia auri et argenti¹. » Ut amplius diligat charitas legem Dei, quam diligit cupiditas millia auri et argenti.

SERMO XVIII.

I. QUANDO DEUS hominem fecit ex pulvere, et animavit flatu, non ibi commemoratum est quod manibus fecerit. Cur itaque quibusdam visum fuerit verbo Deum fecisse cætera, hominem vero velut aliquid præcipuum fecisse manibus suis, non video: nisi forte quia ex pulvere formatum legitur hominis corpus², non potuisse fieri nisi manibus arbitrantur; nec attendunt quod in Evangelio de Verbo Dei scriptum est, « Omnia per ipsum facta » sunt³, » non posse constare, si non per Verbum factum est etiam corpus humanum. Sed adhibent testimonium de hoc Psalmo, et dicunt, Ecce ubi apertissime clamat homo, « Manus tuæ fecerunt me, et finxerunt » me⁴. » Quasi non aperte etiam dictum sit, « Videbo » cœlos opera digitorum tuorum⁵. » Nec minus aperte, « Et opera manuum tuarum sunt cœli⁶. » Multoque apertius, « Et aridam terram manus ejus finxerunt⁷. » Manus ergo Dei sunt potestas Dei. Aut si pluralis numerus eos movet, quia non dictum est, manus tua,

¹ Psal. cxviii, 72. — ² Gen. ii, 7. — ³ Joan. i, 3. — ⁴ Psal. cxviii, 73. — ⁵ Id. viii, 4. — ⁶ Id. ci, 26. — ⁷ Id. xciv, 5.

sed, « Manus tuæ : » accipiant manus Dei, virtutem et sapientiam Dei, quod utrumque unus dictus est Christus¹ : qui etiam intelligitur brachium Domini, ubi legitur, « Et brachium Domini cui revelatum est²? » Aut accipiant manus Dei, Filium et Spiritum sanctum; quia et Spiritus sanctus cooperatur est Patris et Filii : unde ait Apostolus, « Omnia hæc operatur unus atque idem » Spiritus³. » Propterea quippe dixit, « Unus » atque idem ; » ne tot spiritus quot opera putarentur, non quod sine Patre et Filio Spiritus operatur. Liberum est igitur quomodo intelligantur manus Dei : dum tamen nec ea quæ facit manibus, Verbo facere negetur; nec ea quæ facit Verbo manibus facere non putetur; nec propter manus forma corporis, aut alia manus sinistra, alia dextra; nec propter Verbum sonus oris, vel motus animi transitorius operanti Deo inesse credatur.

II. Nec defuerunt, qui duo ista verba, « Fecerunt me, » et finxerunt me, « sic distinguerent, ut animam Deum fecisse, corpus autem finxisse dicerent; quia de anima dixit Deus, « Omnem flatum ego feci⁴ : » de corpore autem legitur, « Et finxit Deus hominem pulverem de » terra⁵ : » tanquam fiat quidem omne quod fingitur, non tamen fingatur omne quod fit. Et ideo animam factam potius dicunt esse quam fictam, quia non est corpus, sed spiritus : quasi non scriptum sit, « Qui finxit spiritum » hominis in ipso⁶. » Verumtamen quando utrumque hoc verbum de homine in loco uno ponitur, et utrumque hominis, id est, et anima et corpus divinitus conditum non negatur; non ineleganter distribuuntur singulis singula, ut anima facta, corpus autem fictum intelligatur, sive formatum, sive plasmatum. Nam quidam interpretes nolue-

¹ I Cor. I, 24. — ² Isai. LIII, I. — ³ I Cor. XII, II. — ⁴ Isai. LVII, 16. — ⁵ Gen. II, 7. — ⁶ Zachar. XII, I.

runt dicere, « Finxerunt me : sed, plasmaverunt me : » magis diligentes minus latine declinare de græco, quam dicere « Finxerunt, » quod aliquando etiam de simulatione dici solet.

III. Sed utrum hoc secundum Adam dictum est, ex quo cum sint omnes homines propagati, quis hominum quando ille factus est, etiam se factum non potest dicere originis seminisque ratione? An etiam secundum hoc recte dici potuit, « Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt » me, » quoniam unusquisque non sine opere Dei etiam de parentibus fit, ipso creante, illis generantibus? Quoniam si operatoria Dei potentia rebus subtrahatur, intereunt; nec aliquid omnino sive de mundi elementis, sive de genitoribus, sive de seminibus nascitur, si ea non operetur Deus. Propter quod ait prophetæ Jeremiæ, « Prius quam te formarem in utero, novi te¹. » Sed numquid sine intellectu fecit hominem Deus, sive primum, sive unumquemque nascentium, et nunc dicat ei, « Manus tuæ fecerunt me, et plasmaverunt me, da mihi » intellectum? « Nonne ipsi naturæ humanæ intellectus est inditus, ut eo discernatur a pecore? An sic est deformata peccando ut etiam hoc in ea reformandum sit? Propter quod et Apostolus omnibus ad regenerationem pertinentibus dicit, « Renovamini spiritu mentis vestræ². » et utique intellectus in mente est. Hinc rursus ait, « Reformamini in novitate sensus vestri³. » De his autem qui hujus regenerationis consortes non erant, « Hoc, inquit, » dico et testificor in Domino, ut non jam ambuletis sicut » et Gentes ambulat in vanitate mentis suæ, obscurati » intelligentia, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est » in illis propter cæcitatem cordis eorum⁴. » Propter hos

¹ Jerem. I, 5. — ² Ephes. IV, 23. — ³ Rom. XII, 2 — ⁴ Ephes. IV, 17, 18 et 23.

igitur interiores oculos, quorum cæcitas est non intelligere, ut aperiantur, et magis magisque serenentur, fide corda mundantur¹. Quamvis enim nisi aliquid intelligat, nemo possit credere in Deum: tamen ipsa fide qua credit, sanatur, ut intelligat ampliora. Alia sunt enim, quæ nisi intelligamus, non credimus; et alia sunt quæ nisi credamus, non intelligimus. Nam cum fides sit ex auditu, auditus autem per verbum Christi², quomodo credit prædicanti fidem, qui, ut alia taceam, linguam ipsam quam loquitur non intelligit? Sed nisi essent rursus aliqua, quæ intelligere non possumus, nisi ante credamus, Propheta non diceret, « Nisi credideritis, non intelligetis³. » Proficit ergo noster intellectus ad intelligenda quæ credat, et fides proficit ad credenda quæ intelligat: et eadem ipsa ut magis magisque intelligantur, in ipso intellectu proficit mens. Sed hoc non fit propriis tanquam naturalibus viribus, sed Deo adjuvante atque donante: sicut medicina fit, non natura, ut vitiatum oculus vim cernendi recipiat. Qui ergo dicit Deo, « Da mihi intellectum, ut discam mandata tua, » non omni modo expers ejus est, velut pecus: nec ita quamvis homo, ut in eorum numero deputandus sit, « Qui ambulant in vanitate mentis suæ, obscurati intelligentia, alienati a via Dei⁴. » Nam si talis esset, nec hoc diceret. Non autem parvi est intellectus, nosse a quo poscendus sit intellectus. Et cogitandum est quanto sint altius intelligenda divina mandata; quando ad ea discenda sibi adhuc dari intellectum petit, qui jam sic intelligit, et qui eloquia Dei se custodisse ante jam dixit.

IV. Quod autem interpretati sunt nostri, « Da mihi intellectum; » brevius dixit græcus, συνέτισόν με: quia uno verbo complexus est, « Da mihi intellectum, quod est

¹ Act. xv, 9. — ² Rom. x, 17. — ³ Isaï. vii, 9, juxta lxx. — ⁴ Ephes. iv, 17.

συνέτισον; quod latine uno verbo dici non potest: tanquam si non posset latine dici, sana me; et diceretur, da mihi sanitatem, sicut hic dictum est, « Da mihi intellectum; » aut sanum me fac, sicut etiam hic dici potest, intelligentem me fac. Quod quidem potuit et angelus facere: nam dixit Danieli, « Veni intellectum dare tibi¹: » et hoc verbum est in græco, quod etiam hic est, συνέτισάι σε, tanquam diceret latinus, sanitatem dare tibi, quod græcus dixisset, sanare te. Non enim circumloqueretur latinus interpretes dicendo, intellectum dare tibi: si quemadmodum dici potest a sanitate, sanare te; ita dici posset ab intellectu, intellectuare te. Sed si potest hoc et Angelus facere, quid est quod iste hoc a Deo sibi poscit ut fiat? An quia Deus Angelo jusserat ut faceret? Ita vero: nam Christus intelligitur hoc jussisse Angelo ut faceret, eo loco ubi ait Propheta, « Et factum est cum viderem ego Daniel » visum, et quærebam intellectum, et ecce stetit in » conspectu meo ut visus viri, et audivi vocem viri inter Ubal, et vocavit, et dixit: Fac intelligere illum visionem². » Et ibi in græco verbum hoc est, quod et hic, id est συνέτισον. Deus itaque per se ipsum, quia lux est, illuminat piæ mentes³, ut ea quæ divina dicuntur vel ostenduntur, intelligant. Sed si ad hoc ministro utitur Angelo, potest quidem aliquid agere Angelus in mente hominis, ut capiat lucem Dei, et per hanc intelligat: sed ita dicitur intellectum dare homini, et quasi, ut ita dicam, intellectuare hominem, quemadmodum quisquam dicitur lucem dare domui, vel illuminare domum, cui fenestram facit; cum eam non sua luce penetret et illustret, sed tantummodo aditum quo penetretur, atque illustretur, aperiat. Sed nec sol qui per fenestram illustrat domum, ipse creavit eandem domum, aut hominem qui fenestram fecit in domo,

¹ Dan. x, 14. — ² Id. viii, 15, 16. — ³ Joan. i, 4 et 9.

aut ipse illi jussit ut faceret, aut adjuvit ipse facientem, aut aliquid egit ut aperiretur qua saum lumen infunderet: Deus autem et hominis mentem rationalem atque intellectualem fecit; qua posset capere lumen ejus, et Angelum talem fecit, qui operari posset aliquid unde ad capiendum lumen Dei mens adjuvaretur humana, et eandem sic adjuvat mentem, ut Angelicam recipiat operationem; et eam sic illuminat de se ipso, ut non solum illa quæ a veritate monstrantur, sed ipsam quoque proficiendo perspiciat veritatem. Sed quoniam res quidem necessarias, quantum existimo, tamen proluxa disputatione tractavimus, dilatis sequentibus Psalmi hujus versibus, sermonem istum isto fine claudamus.

SERMO XIX.

I. **DOMINUS** Jesus in hoc Psalmo per Prophetam, tanquam sibi, petivit intellectum dari a Deo corpori suo, quod est Ecclesia, ad Dei mandata discenda. Cum ipso enim vita corporis ejus, hoc est, populi ejus abscondita est in Deo¹, et ipse in eodem corpore suo indigentiam patitur, et poscit quod membris suis est necessarium. « Manus tuæ, inquit, fecerunt me, et plasmaverunt me: » da mihi intellectum, ut discam mandata tua². » Quia tu, inquit, formasti, tu reforma: ut fiat in corpore Christi, quod ait Apostolus, « Reformamini in novitate sensus » vestri³. »

II. « Qui timent te, inquit, videbunt me, et jucundabuntur: » vel, sicut habent alii codices, « Lætabuntur, » quoniam in verba tua speravi⁴: » id est, in ea quæ

¹ Coloss. iii, 3. — ² Psal. cxviii, 73. — ³ Rom. xii, 2. — ⁴ Psal. cxviii, 74.

promisisti, ut sint promissionis filii, semen Abrahæ, in quo benedicuntur omnes gentes¹. Qui sunt autem qui timent Deum, et quem videbunt et lætabuntur, quoniam in verba Dei speravit? Si corpus Christi est, id est, Ecclesia, cujus est vox ista per Christum, vel in ipsa et de ipsa, tanquam de se ipso ista vox Christi est: numquid non ipsi sunt in eis qui timent Deum? Quis est ergo ille quem vident, et jucundantur? An populus ipse se videt, et jucundatur, et sic dictum est, « Qui timent te, videbunt » me, et lætabuntur, quia in verba tua speravi; » vel sicut alii diligentius expresserunt, « Supersperavi²: » tanquam diceret, « Qui timent te videbunt » Ecclesiam tuam, « Et » jucundabuntur, quia in verba tua supersperavi; » cum ipsi sint Ecclesia, qui vident Ecclesiam et jucundantur? Sed cur non dixit, Qui timent te, vident me, et jucundantur: sed « Timent te, » verbum præsentis temporis posuit; « Videbunt autem et jucundabuntur, » futuri temporis verba sunt? An quia in præsentis tempore timor est, quandiu « Tentatio est vita humana super terram³; » jucunditas autem, quam voluit hic intelligi, tunc erit, quando justii fulgebunt in regno Patris sui sicut sol⁴? Hinc enim etiam illud in alio Psalmo legitur, « Quam magna » multitudo dulcedinis tuæ, Domine, quam abscondisti » timentibus te⁵? » Nunc ergo quandiu timent, nondum vident; sed « Videbunt, et jucundabuntur: » quia et illic sequitur, « Perfecisti autem sperantibus in te⁶: » et hic « Quia in verba tua speravi, vel supersperavi, » ut in verbo ita composito, et cura interpretis diligentioris expresso, etiam illud intelligamus, quod « Potens » est Deus facere supra quam petimus et intelligimus⁷: »

¹ Gen. xii, 3, et xxvi, 4. — ² Græc. ἐπιπροσπερα. — ³ Job. vii, 1. — ⁴ Matth. xii, 43. — ⁵ Psal. xxx, 20. — ⁶ Ibid. 21. — ⁷ Ephes. iii, 20.

ut quia « Supra quam petimus et intelligimus » sunt, parum sit ea sperare, sed debeamus supersperare.

III. Quia ergo adhuc timet Ecclesia, quæ in hac vita est, et nondum se videt in eo regno, ubi erit ejus segura jucunditas; sed inter periculosas tentationes in hoc mundo laborat, ubi audit, « Qui se putat stare, videat ne cadat ¹ : » considerans hujus mortalitatis miseriam, in qua jugum grave super filios Adam, a die exitus de ventre matris eorum, sic in omnibus pertenditur usque in diem sepulturæ in matrem omnium ², ut propter carnem concupiscentem adversus spiritum ³, etiam regenerati gemere sub ejus gravitate cogantur; hoc ergo considerans, « Cognovi, » inquit, Domine, quia justitia judicia tua, et veritate humiliasti me. Fiat misericordia tua, et consoletur me secundum eloquium tuum servo tuo ⁴. » Misericordia et veritas divina eloquio commendantur, ut cum in multis inveniantur locis, maxime in Psalmis, quodam etiam loco legatur, « Universæ viæ Domini misericordia et veritas ⁵. » Et hic quidem primo veritatem posuit, qua humiliati sumus in mortem, judicante illo cujus judicia justitia est: deinde misericordiam, qua instauramur ad vitam, promittente illo cujus beneficium gratia est. Ideo ait, « Secundum » eloquium tuum servo tuo: » id est, secundum quod promisisti servo tuo. Sive ergo regeneratio, qua hic in Dei Filios adoptamur, sive fides et spes et charitas, quæ tria ædificantur in nobis; quamvis de misericordia Dei veniant, tamen in hac ærumnosa et procellosa vita solatia sunt miserorum, non gaudia beatorum: ideo dictum est, » Fiat misericordia tua, ut consoletur me. »

IV. Sed quia post hæc et per hæc etiam illa ventura

¹ 1 Cor. x, 12. — ² Eccli. xl, 1. — ³ Gal. v, 17. — ⁴ Psal. cxviii, 75, 76. — ⁵ Id. xxiv, 10.

sunt: ideo sequitur, « Veniant mihi miserationes tuæ, » et vivam ¹. » Tunc enim vere vivam, quando nihil poterō timere, ne moriar. Ipsa enim et sine nullo additamento dicitur vita, nec intelligitur nisi æterna et beata, tanquam sola dicenda sit vita, in cujus comparatione ista quam ducimus, mors potius sit appellanda quam vita: quale illud est in Evangelio, « Si vis venire ad vitam, » serva mandata ². » Numquid addidit æternam vel beatam? Item de resurrectione carnis cum loqueretur, « Qui » bene fecerunt, inquit, in resurrectionem vitæ ³. » Neque hic ait, æternæ seu beatæ. Sic et hic, « Veniant, » inquit, mihi miserationes tuæ, et vivam: » neque hic ait, in æternum vivam, vel beate vivam; quasi aliud non sit vivere, quam sine ullo fine et sine ulla miseria vivere. Sed hoc quo merito? « Quia lex, inquit, tua meditatio » mea est. » Hæc meditatio nisi esset in fide, quæ per dilectionem operatur ⁴, nunquam propter eam posset ad illam vitam quispiam pervenire. Hoc dicendum putavi, ne quisquam, cum totam legem memoriæ mandaverit, eamque creberrima recordatione cantaverit, non tacens quod præcipit, nec tamen vivens ut præcipit, arbitretur se fecisse quod legit: « Quia lex tua meditatio mea est: » et hinc se adepturum existimet, quod verbis superioribus propter hoc meritum postulavit, ubi dictum est: « Veniant » super me miserationes tuæ, et vivam. » Hæc meditatio amantis est cogitatio, et tantum amantis, ut charitas non frigescat hujus meditationis suæ, quantalibet abundantia constipetur iniquitatis alienæ ⁵.

V. Denique sequitur, et dicit: « Confundantur superbi, » quoniam injuste iniquitatem fecerunt in me: ego au-

¹ Psal. cxviii, 77. — ² Matth. xix, 17. — ³ Joan. v, 29. — ⁴ Gal. v, 6. — ⁵ Matth. xxiv, 12.

» tem exercebor in mandatis tuis¹. » Ecce quod ait, meditatio legis Dei, vel potius meditatio lex Dei.

VI. « Convertantur, inquit, ad me qui timent te, et » qui cognoscunt testimonia tua². » In nonnullis codicibus invenimus et græcis et latinis : « Convertantur » mihi : » quod tantumdem valere existimo, quantum si dicatur : « Ad me. » Sed quis est iste qui hoc dicit? Non enim quisquam hominum hoc dicere audebit, aut si dicat, audiendus est. Nimirum ergo ille est, qui etiam superius interposuit proprietatem vocis suæ, dicens : « Particeps ego sum omnium timentium te. » Quia factus est particeps mortalitatis nostræ, ut et nos participes divinitatis ipsius fieremus : nos unius participes ad vitam, ad mortem vero particeps ille multorum. Ipse est enim ad quem convertuntur timentes Deum, et qui cognoscunt Dei testimonia, de illo per Prophetas tanto ante prædicta, in ejus præsentia per miracula paulo ante monstrata.

VII. « Fiat, inquit, cor meum immaculatum in justificationibus tuis, ut non confundar³. » Redit ad vocem corporis sui, sancti scilicet populi sui, et jam immaculatum fieri cor suum precatur, hoc est, cor membrorum suorum; in justificationibus Dei, non in viribus eorum. Poperit enim hoc, non præsumpsit. Quod autem addidit : « Ut non confundar : » tale aliquid et in primis hujus Psalmi versibus invenitur, ubi dixit : « Utinam dirigantur » viæ meæ ad custodiendas justificationes tuas : tunc non » confundar, cum inspicio in omnia mandata tua. » Quod ibi, quia dixit, Utinam, uno verbo significavit optantis; hoc isto loco apertioribus verbis expressit orantis, dicendo : « Fiat cor meum immaculatum : » ut nec in illa, nec in ista sententia, quæ utraque una est, inveniatur audacia de libero arbitrio contra gratiam confidentis. Quod autem ait

¹ Psal. cxviii, 78. — ² Ibid. 79. — ³ Ibid. 80.

ibi : « Tunc non confundar; » hoc ait hic : Ut non confundar. » Fit ergo cor immaculatum membrorum et corporis Christi, gratia Dei per ipsum corporis caput, hoc est, per Jesum Christum Dominum nostrum, per regenerationis lavacrum, ubi obolita sunt omnia præterita peccata nostra⁴; per spiritus adjutorium, per quod concupiscimus adversus carnem, ne vincamur in pugna nostra⁵; per Dominicæ orationis effectum, in qua dicimus : « Dimitte nobis debita nostra⁶. » Ita donata nobis regeneratione, adjuncta conflictione, fusa precatione, fit cor nostrum immaculatum, ut non confundamur : quia et hoc ad justificationes Dei pertinet, quando inter ejus alia præcepta præcipitur : « Dimitte et dimittetur vobis; date, et » dabitur vobis⁴. »

SERMO XX.

I. ADJUVANTE Domino istam magni hujus Psalmi partem considerandam exponendamque suscepimus, ubi dicit, « Defecit in salutare tuum anima mea, et in verbum tuum » speravi⁵. » Non omnis defectus vel culpæ putandus est esse, vel pœnæ : est etiam defectus laudabilis vel optabilis. Nam cum sint inter se duo ista contraria, proficere et deficere; usitatus profectus in bono accipitur, defectus in malo, quando non additur vel subintelligitur in quid proficiatur vel deficiatur : cum vero additur, potest et malum esse proficere, bonumque deficere : aperte quippe dixit Apostolus : « Profanas autem verborum novitates » evita : multum enim proficient ad impietatem⁶. » Ait

¹ Tit. iii, 5. — ² Gal. v, 17. — ³ Matth. vi, 12. — ⁴ Luc. vi, 37, 38. — ⁵ Psal. cxviii, 81. — ⁶ 2 Tim. ii, 16.

et de quibusdam, « Proficient in pejus¹. » Ita et defectus a bono in malum malus est, a malo in bonum bonus est. Bono quippe defectu dictum est : « Desiderat et deficit anima mea in atria Domini². » Sic et hic non ait : « Defecit a salutare tuo; » sed, « Defecit in salutare tuum, » hoc est; ad salutare tuum, « anima mea. » Bonus est ergo iste defectus : indicat enim desiderium boni, nondum quidem adepti, sed avidissime ac vehementissime concupiti. Sed quis hoc dicit nisi genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis³, ab origine generis humani usque ad hujus sæculi finem, in eis qui suo quique tempore hic vixerunt, vivunt, victuri sunt, desiderans Christum? Teste sanctissimo sene Simeone, qui cum eum infantem accepisset in manus, dixit, « Nunc » dimittis, Domine, servum tuum, secundum verbum tuum » in pace : quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. » Acceperat enim responsum divinum, non se gustaturum mortem, nisi vidisset Christum Domini⁴. Quale autem desiderium fuit in isto sene, tale fuisse credendum est in omnibus superiorum temporum sanctis. Unde et ipse Dominus discipulis ait : « Multi prophetæ et reges voluerunt » videre quæ vos videtis, et non viderunt; et audire quæ » auditis, et non audierunt⁵ : » Ut ipsorum etiam vox hoc loco agnoscatur : « Defecit in salutare tuum anima » mea. » Nec tunc ergo quievit hoc desiderium sanctorum, nec nunc quiescit in Christi corpore, quod est Ecclesia, usque ad terminum sæculi, donec veniat « Desideratus » cunctis gentibus⁶, » sicut promittitur per Prophetam. Propter quod dicit Apostolus, « Superest mihi corona » justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illo die justus » judex : non solum autem mihi, sed et omnibus qui di-

¹ 2 Tim. III, 13. — ² Psal. LXXXIII, 3. — ³ 1 Petr. II, 9. — ⁴ Luc. II, 26, et 29, 30. — ⁵ Matth. XIII, 17. — ⁶ Aggæi. II, 8.

» ligunt manifestationem ejus¹ : » Hoc itaque desiderium, de quo nunc agimus, de delectione consurgit manifestationis ejus : de qua item dicit, « Cum Christus apparuerit » vita vestra, tunc et vos cum illo apparebitis in gloria². » Prima ergo tempora Ecclesiæ ante virginis partum, sanctos habuerunt qui desiderarent incarnationis ejus adventum : ista vero tempora ex quo ascendit in cœlum, sanctos habent qui desiderent ejus manifestationem ad vivos et mortuos judicandos. Neque hoc Ecclesiæ desiderium ab initio usque in finem sæculi requievit aliquantum, nisi quandiu hic cum Discipulis in carne versatus est, ut totius corporis Christi in hac vita gementis vox convenienter intelligatur : « Defecit in salutare tuum anima mea, et in » verbum tuum speravi : » hoc est, in promissum; quæ spes facit, ut per patientiam expectetur; quod a credentibus non videtur³. Etiam hic græcus illud verbum habet⁴, quod quidam nostri interpretes « supersperavi » transferre maluerunt : quia procul dubio plus futurum est, quam dici potest.

II. « Defecerunt, inquit, oculi mei in eloquium tuum, » dicentes, quando consolaberis me⁵? » Ecce rursus in oculis, sed utique interioribus, laudabilis et felix : ille defectus, non veniens ex infirmitate animi : sed ex fortitudine desiderii in promissum Dei. Hoc enim ait : « in eloquium tuum. » Quomodo autem tales oculi dicunt : « Quando consolaberis me, » nisi cum tali intentione et expectatione oratur et gemitur? Lingua enim loqui, non oculi solent : sed oculorum quodam modo vox est desiderium orationis. Verum in eo quod ait, « Quando consolaberis me, » tanquam moras se perpeti ostendit. Unde est etiam illud : « Et tu, Domine, quousque⁶? » Quod

¹ 2 Tim. IV, 8. — ² Coloss. III, 4. — ³ Rom. VIII, 25. — ⁴ Græc. ἐπιλήσιον. — ⁵ Psal. CXVIII, 82. — ⁶ Id. VI, 4.